

Zaram primus in partu Thamar protulit magnum, sed eandem retraxit, & Phares prior est egressus, Genes. 38 v.28. Zaram designat populum Judaicum, Phares verò gentes. Iudei videbantur primi futuri in regno Dei, quibus tamen gentes præferuntur. Osian. in c. i. Matth.

Postquam Abraham, id est, Deus Pater genuis-
set de Sara, id est, Synagoga, Isaac, id est,
filium benedictum Christum, accidit quod
Sara, id est, Synagoga per infidelitatem
est mortua. Quare Deus misit servum su-
um, id est, Apostolorum cætum ad civita-
tes gentiles, ut puellam nobilem, id est, Ec-
clesiam de gentilitate natam filio despon-
saret.

Eam postea Christus introduxit in tabernacu-
lum matris suæ, id est, Scripturam sacram.
Ipsa Ecclesia de camelō, id est, superbia
gentilis fastus se humiliando descendit. A
Christo & Ecclesia multi filii, id est, Chri-
stiani generantur, quorum alii sunt Jacob,
id est, boni: alii verò Esau, id est, mali. Ber-
thor.

Deus quotidiè de lapidibus excitat filios A-
brahæ, hoc est, gentiles ad fidem convertit,
contrà v. filios Abrahæ convertit in lapides,
quia cor ipsorum induratum. Matth. 3. v.9.
In hemorrhousa & filia Jairi proponitur ty-
pus